

DISPUTATIO

DE

ORIGINE FORMÆ NOBIL-

LISSIMÆ, ANIMÆ HUMANÆ

QVAM

Inclytæ Facultatis Philosophicæ autoritate

PRO LOCO

In eadem consequendo secundam placidæ συζήτησιν

Publicè subicit 7. Julij

M. HIERONYMUS KRO-

MAYER Cizensis,



LIPSIÆ.

Imprimebat HENNINGUS Köler.

ANNO 2519020vias M. DC. XXXVIII.

19.

a. LXV. 59.

Coll. diss. A
25, 59

VIRI

Reverendissimis, Magnificis, Nobilissimis, Cla-
rissimis & Spectatissimis

**DN. PRÆPOSITO, DECA-
NO, SENIORI**

Et reliquis Reverendissimi Capituli Cizensis Ca-
nonicis &c, Patronis suis magnis

hanc disputationem

dedicat

M. HIERONYMUS KROMAYER,



JOVA

Handwritten scribbles

Handwritten scribbles

JOVA JUVVA!



Hesis I. Nobilissimam questionem de anima humana origine, qua diu & inter Theologos & inter Philosophos fuit pomum Eridos, sub placida συμφιλολογίας incudem revocaturi, ut ratio methodi questionem conjunctam tractandi habeatur, sententiam veram argumentis certis confirmabimus & falsitatem in contrariis, qua fucosâ specie veritati opponuntur, monstrabimus.

2. *Sed ne turres nobis fingamus, quas impugnemus, aut μορμολύκειον objiciamus, statum controversiae, aliorum de hac questione sententias in medium adducendo, & quarum patrocinium non suscipimus removendo, formabimus.*

3. *Statuerunt olim Pythagorici μετεμψύχωσιν quandam id est unius animae in alteram demigrationem (si haec proprie & non κτ̄ μεταφορὰν accipienda.) quam opinionem arripuerunt Judaei, adeo ut Herodes animam Johannis Baptistae capite truncati demigrasse in Christum ex quorundam sententia persuasum sibi habuerit.*

4. *Statuit Origenes vetustioris Ecclesiae Doctor (qui circa initium Centuriae tertiae à Christo nato vixit, & linguae sanctae quidem cognitione unâ cum Hieronymo solus in tota antiquitate eminuit, sed tamen phrases duriores, quin & errores hinc inde scriptis suis infarsit, ut & Pelagianismus pestilentissimus error, qui ultra mille annos Ecclesiam exeruit, ramusculus Ori-*

genis fuerit dictus) omnes animas à DEO ab initio mundi creatas velut in apotheca quadam seruari, & postmodum corporibus in utero formatis infundi. Quæ tamen sententia in Concilio Constantinopolitano secundo, Oecumenico V. ut numerant Græci, unâ cum aliis erroribus Origenis fuit rejectum.

5. Statuerunt Pelagiani, cum quibus faciunt *πελαγανίζοντες* Pontificii & Calviniani quidam, animas à DEO immediatè creari, & corporibus postmodum infundi, suamq; sententiam ita depereunt, ut Bellarminus contrariam de traduce jam adducendam cum Scholasticis exploratum errorem, & cum Thoma heresin indigitet.

6. Statuunt Orthodoxi Theologi pleriq; & elegantiores Philosophi animam humanæ prolis per traducem seminalem à parentibus vi benedictionis divinæ propagari.

7. Inventi sunt, qui in hac quæstione τὸ ἐπέχει arripuerunt & calculum suum suspenderunt, quos inter est Augustinus, qui periculum non esse, ait, si origo animæ lateat, modò redemptio clareat.

8. Quæ modestia & nobis probatur. Sed tamen, si delictus harum opinionum est instituendus, missis prioribus tribus (præsertim Pythagorica & Origenica) sententiam de traduce utpote veritati maximè consonam amplectimur. Cui etiam Augustinum non fuisse inimicum ex eo patet, quod in Epla 28. & 157. fatetur, se neq; legendo, neq; orando, neq; ratiocinando invenire potuisse, quomodo cum animarum creatione peccatum originis defendatur.

9. Sit itaq; controversiæ status: An anima humana prolis per traducem seminalem à Parentibus vi benedictionis divinæ propagetur. Quam sententiam certis quibusdam argumentis adstruemus, & quæ contra in medium proferri solent argumenta destruemus. Faxit DEUS ut feliciter.

Vera

10. **Q**uestionem hanc esse Philosophicam & quidem Physi-
cam, nemo, qui subjectum & prædicatum ritè in-
tuetur, negabit opinor.

11. Sed quia in multis acumen Aristotelicum, ut in creatio-
ne hujus universi, lapsu Protoplastorum tristissimo & aliis
deficit, si ex scripturis quoque rem altius repetamus & argumen-
ta ex armamentario isto deprompta Philosophicis ad solidiorem
probationem adiungamus, vitio Christianis Philosophis ver-
tendum non esse censemus.

12. Constat itaque ex sacris, DEUM ter Opt. Max. postquam
hominem sexto die ex limo terræ formasset, homini animam
secundum omnes facultates inspirasse.

13. Quam tamen animam divinæ essentiæ partem non in-
telligas, quia divinam essentiæ esse divisibilem, esse peccatis
& pœnis subsequens obnoxiam inde sequeretur, sed ani-
mam istam à DEO creatam homini quasi anhelitu quodam
fuisse communicatam scias.

14. Cum grano salis itaque accipiendum est, quando homo
divinæ auræ particula vocatur ab Horatio, non quòd talis sit
formaliter, sed effectivè, non quòd ex DEO, sed à DEO traxe-
rit originem.

15. Hæc anima, ut unà cum corpore suo Organico, quod
informat, propagetur, DEUS in prima creatione sanxit additâ
mandato benedictione: Crescite & multiplicamini & replete
terram. Quam benedictionem post lapsum non exspirasse repe-
titio post Cataclysmum ad Noachum facta satis superque docet.

16. Sit itaque primum nostrum argumentum: Si anima per
traducem seminalem non propagatur, homo non generabit ho-
minem, sed ex animæ massam, adeoque homo deterioris erit con-
ditionis, quàm reliqua bruta & plantæ, cum omne simile ge-
neret

neret simile, leo leonem, canis canem, cerasus cerasum, pomus pomum & sic deinceps.

17. Nec est, quod aliquis excipiat, sufficere productionem corporis tanquam partis, cum qua unitur anima, cum homo corporis consortio & commercio brutis jungatur, per formam autem ut differentiam specificam ab eisdem distingvatur.

18. Invertimus ergo quod Timplerus opponit exemplum: Mensam dici opus & effectum tignarii, cum tamen alterius tantum partis Autor sit, alteram vero, lignum videlicet, aliunde acceperit. Sicut enim propter formam, nobiliorem partem tignarium mensae Autorem nuncupamus: Ita propter formam nobiliorem scil. partem hominem ab homine propagari dicimus.

19. Unde Arist. $\Phi\upsilon\sigma\iota\kappa\acute{\omega}\nu\ \alpha\iota\tau\eta\sigma\iota\varsigma$ esse dicit $\gamma\epsilon\upsilon\upsilon\eta\sigma\alpha\iota\ \eta\gamma\acute{\iota}\ \tau\omega\iota\eta\sigma\alpha\iota\ \epsilon\tau\epsilon\rho\upsilon\upsilon\ \delta\iota\upsilon\upsilon\tau\alpha\iota$, $\alpha\upsilon\tau\acute{\omicron}$ id est opus naturalissimum, ut ita loquar, esse, tale generare, quale est ipsum generans 2. de animat. 34.

20. Ne tamen videantur rigidiores, qui novam animarum defendunt creationem, concedunt quidem animam vegetativam & sensitivam, non verò rationalem à parentibus per traducem seminalem propagari.

21. Sed fallunt & falluntur, qui diversa principia harum trium facultatum in una hominis anima constituunt. Tres enim illas facultates, si considerantur in uno subjecto non re ipsa, sed gradibus saltem differre Physici docent.

22. Quid si particulam animae à Parentibus, particulam à DEO conferrì dixeris, nonne compositam, divisibilem & corruptibilem animam hominis feceris. Quicquid enim componitur ex principiis diversis, est divisibile, & quicquid est divisibile, non est perpetuum.

23. Adde

23. Adde, quòd inde sequeretur, unum idemq; In Quòse
duplici eòq; opposito modo produci.

24. Sunt ex adversa parte, qui aliud querentes latibulum
Parentes animam cum corpore conjungere statuunt, ut sic ho-
minem ab homine produci largiantur.

25. Ἄλλ' ἔχ' αὐτὰ ἐαυτοῖς σὺμδυνα. Nam si DEUS
ex illorum opinione animam inspirat, cum corpore etiam con-
jungit. Si Parentes autem conjungunt, DEUS utiq; non
inspirat.

26. Et quid dicendum, si Pater suo in generatione functus
officio peregrè abiret V. G. in Italiam, vel Galliam, relict a do-
mi uxore, vel fatis cederet (ut saepenumero fieri solet.) numquid
animam à DEO inspiratam à Patre absente vel morituo con-
jungi corpori statuemus?

27. Sit argumentum secundum: si soboles humana vitam
suam naturaliter Parentibus fert acceptam: Cur non & ipsam
animam?

28. Nam vita immediatè dependet ab anima, ut patet ex
defn. anima, quòd sit ἐν ἐλέχεια τὸ σῶμα τῷ φυσικῷ ἰσχυρισμῷ
ζωὴν ἔχοντι. δύναμις & claris Arist. verbis: Vivere viventi-
bus est esse 2 de an. t. 37.

29. Non verò ut Artifex dat esse materiae v. g. Architectus
aedificio, aurifaber poculo inaurato: sic parens dat vitam soboli,
sed ut causa τῷ φύσει agens 2, de gen. animal. c. 1.

30. Unde Filii Parentibus utpote αἰτίοις τὸ εἶναι non tan-
tum victum, sed & honorem (quem tamen ἰσχύροσιν in hac
vita reddere ò possunt) quemadmodum ipsis Deus debeat 9.
Eth. c. 2.

31. Exceptio de vita communi & animali, quam Paren-
tes liberis communicent, non autem rationali, ne causâ quidem

nuce

nunc digna est, cum anima hominis ex facultatibus essentialiter
diversis, ut modo dictum, non sit composita, & ὁ κτ̄ τὸν νῦν βι. &
homini proprius sit ἢ φύσει 10. Eth. c. 7.

32. Quod si vitam rationalem non darent Parentes, ἵδὲ γα-
ρόμῃσιν naturam generantis secundum speciem ὁμοειδῆ nequa-
quam haberet, quod in quolibet univocè generato requirit
Philosophus 6. P. P. c. 7.

33. Sit argumentum tertium: Si anima est ἐν ἐλέχεια sui
corporis ad informandum corpus organicum, & cum eo unum
σύνθετον constituendum est determinata, quid ni propagetur
etiam in subiecto suo naturali?

34. In hoc enim differt anima hominis ab Angelo, quòd
Angelus sit Spiritus à corpore independens: anima verò ad il-
lud informandum divinitus sit ordinata & destinata, ut etiam
à corpore soluta reduntionem summo desiderio appetat.

35. Quantumvis autem nulla forma generetur seorsim,
quia generatio est totius compositi, tamen cum corpore suo per
traducem seminalem, qui ἀρχὴν ψυχικὴν καὶ σωματικὴν refert,
congeneratur & comproducitur. Imò, quia totum compositum
generatur formam qq. congenerari necessum est.

36. Sit argumentum quartum: Si mediante semineani-
ma rationalis non traducitur, sed illa introducitur aliunde,
causa generans non attinget suum effectum, seu terminum.

37. Terminus enim generationis duplex est Quid est
totum compositum, & Quid i. e. forma. Jam si causa generans
hanc non producit, sine suo excidit.

38. Sit argumentum quintum ab autoritate ductum ele-
gans locus Philosophi 2. de gen. anim. c. 4. quando animam hu-
manam prolis appositissimo involucro metaphorico ex politis de-
sumto vocat τέκνον ἀποικιστὴν διὰ πατρὸς id est sobolem eman-
cipatam à patria potestate.

38. Quem-

39. Quomodo n. soboles è domo Patris egressa proprium domicilium gubernare incipit : Ita & anima humane prolis post absolutum generationis terminum jam suum domicilium, cui vitam & motum largitur, dispensare incipit.

40. Ita verò habet integer locus : Cùm quod gignitur de ambobus adjunctum est (id est factâ unione corporis & animæ) se ipsum gerere & dispensare incipit καὶ θάπερ τέκνον ἀποικισθεὶς ἐν δόμῳ πατρὸς . Itaq; principium habere oportet, à quo etiam post ordo membrorum describatur, & quæcunq; ad absolvendum animal pertinent, disponantur. Nam si extrinsecus aliquando aderit, & post inesse incipiet, non solum dubitaveris, & quonam tempore accedat quasi veris, sed etiam cùm pars quavis distingvatur, id primum substare necesse est à quo & incrementum & motus cæteris partibus contingat d. l.

41. Huic loco succenturiari possunt & alia, quando 1. de animat. 65. Philosophus inquit ὁ νῦς ἔοικεν ἐγγίνεσθαι ἕστια τις ἕστια, καὶ ἔσθαι ἰδεσθαι id est, Intellectus videtur innasci, substantia quadã existens & non corrumpi. Et 2. de gen. an. c. 3. inquit: Τὸ πᾶρμα τὸ τῆς ψυχικῆς ἀρχῆς συναπέχεσθαι καὶ ἐμπειλαμβάνεσθαι τὸ θεῖον τοῖσδε ὁ δὲ θεῖον ὀκαλεῖμεν ὁ νῦς id est semen principii animalis continere & comprehendere divinam partem, qualis est, quæ mens dicitur.

42. Quamvis adductæ rationes ad stabiliendam thesin nostram, sufficere possent, tamen ut firmior sit probatio, & mens ἀμετάπλωτ & relinqvatur, è scripturis S. omni exceptione majores aliquot subnectere libet, & ut spero, mihi in studio Theologico versanti licebit.

43. Sit itaq; sextum argumentum: Si anima humane prolis non est τῆς φύσεως πλάσμα, unde, quæso, peccati originalis venenum profundissimè à prima conceptione ipsi adherens proficiscitur? Nonne DEUS Opt. Max. si animas impuras crearet, & corporibus infunderet, hâc ratione peccati causa efficeretur.

B

44. Nec

44. Nec est quod aliqui puras à Deo animas creari, & corporibus postmodum infundi dicant, in quibus velut in vase impuro polluantur. Praterquam enim quod DEUS hac ratione non omnino ab injustitia liberetur, in quaestione adhuc versatur, an anima à corpore, nobilius ab ignobiliore, corrumpi, & an corpus πρῶτον δεικνὸν peccati constitui possit.

45. Alij quandam elabendi rimam se invenisse putant, quando animas nec puras, nec impuras, sed medias à Deo creari dicant. Sed quia peccatum & justitia originalis ἐναντίως velut duo habitus sunt opposita, ἐξ ἑνὸς istius justitiae nunquam erit extrahitum impuritatis originalis.

46. Sit argumentum septimum: Si primus generis humani Parens non ad Dei, sed suam imaginem filios genuit (Gen. 5.) anima per traducē fuit propagata, utpote πρῶτον δεικνὸν imaginis divinae in statu confectionis, & peccati in statu defectionis.

47. Cui consentit, quod de se conqueritur Psalmographus Regius: In peccatis concepit me mater mea. Non ex animam massam, sed ME inquit, me totum ex anima rationali & corpore constantem.

48. Sit argumentum octavum: Si 70. anima, quae descenderunt in Aegyptum (Ex. 1.) ex femore Jacobi egressa, utiq; anima à Parentibus trahunt originem.

49. Quamvis Antagonista diviticulum quaerant & hoc dictum per Synecd. partis pro toto accipiant, nostra tamen sententia stat ἀνίκητος ἢ ἀκίνητος. Animam enim pro toto sumi composito libenter agnoscimus, sed talem Synecdochē ubi pars pro parte ponatur ignoramus.

50. Sit argumentum nonum: Si παλιγενεσία competit anima, utiq; & γένεσις, quia nihil potest regenerari, quod non prius fuerit generatum. Sed παλιγενεσίαν illam ad solum corpus restringere est ἀθεόλογον.

51. Sit

51. Sit argumentum decimum: Si Deus Eva intra primum ἔξαήμερον, in quo creavit omnia, non inspiravit ἀμέσως animam viventem à se creatam ut Adamo, sed ex viva dormientis Adami costa, quæ tradux fuit anima, illam efformavit, neq; etiam hodie novas animas creabit & corporibus inspirabit.

52. Sit argumentum undecimum: Si Deus sexto die creationi ultimam manum imposuit, & septimo die ab omni creatione quievit, non amplius novas creat animas.

53. Sit argumentum duodecimum & ultimum: Si Christus animam suam per traducem seminalem ex purissima & castissima Virgine Maria assumpsit, utiq; probanda est animarum mediante semine tanquam vehiculo propagatio. Sed istud pie credimus, quia τὸ ἀπερόσληπτον ἀθεράπευτον, quod Christus non assumpsit, non redemit. Et huc usq; κατασκευαστικῶς

Argumentorum contrariorum

ἀνασκευή.

54. Adstructâ sententiâ verâ, videbimus quanti ponderis & momenti sint argumenta, quæ pro destruenda hac sententiâ proferuntur in medium, à Philosophicis faciemus initium.

55. Primum ἀντίπτωτον sit hoc: Si anima propagatur cum semine, aut erit ex corpore, aut ex anima Parentis. Sed non ex corpore, quia effectus non est præstantior suâ causâ: neq; ex anima, quia sic erit aut tota, aut ex parte: Non tota, quia Parentis anima periret, quod absolum: nec ex parte, quia sic anima esset divisibilis.

56. Hic est ipsorum Achilles. Sed respondemus, animam humanæ proles neq; seorsim ex corpore, neq; seorsim ex anima, sed conjunctim ab anima & corpore produci hominē. Anima verò neq; ex toto, neq; ex parte aliquam sui iacturam patitur, quia non est quanta, & per consequens indivisibilis, sed in materia benè preparata novam animã facilimè suscitât. Non itaq; ex animæ Parentis anima sobolis tanquam pars quædam avel-

litur, sed ab anima Parentis tanquam lychnus à lychno accen-
ditur.

57. Quemadmodam itaq; in materia, quæ flammam ale-
re & pascere potest, lychnus unus sese multiplicare potest sine
ulla sui partitione vel in sexcentos alios: Ita & ab una Parentis
anima in materia benè preparata & disposita plures animæ
accendi possunt.

58. Solent quidem nonnulli hoc simile carpere sed notandum
est illud tritum πᾶν ὁμοιον ἀνόμοιον, & simile non est idem. Fit
in eodem processu à minori ad majus: Si in corporalibus res ita
sese habet, cur non magis in spiritualibus.

59. Alterum ἀντίπιπλον sit hoc: Si animæ per se subsistunt,
etiam per se producuntur. Jam v. præter Scripturam etiam
Philosophus animam à corpore separabilem facit.

60. Sed respondemus, quòd anima sit χωριθεῖσα à suo corpo-
re i. e. actu separetur, & separata existat, hoc eidem per acci-
dens propter lapsum Protoplastorum evenire. Si n. homo in sta-
tu integritatis permansisset, anima nunquam separata fuisset à
corpore. Hinc licet ad tempus seorsim extra corpus subsistat, ad
id tamen informandum dependentiam (non quidem actualem,
sed aptitudinalem) semper habet, cum quò etiam redunietur.

61. Sit ἀντίπιπλον tertium: Si anima est πλάσμα τῆς φύ-
σεως vel erit ex solo mare, vel ex sola fœmina, componeretur
aliàs, si esset ex utroq;.

62. Sed respondemus, quòd tunc componeretur, si animæ
parentum essent quantæ & divisibiles, ut pars conferretur ab
hac, pars ab illa. Quod falsum. Sicut n. ex duabus facibus con-
junctis tertia quædam accendi potest, ut nunquam ostendi pos-
sit, quænam pars ab hac, quænam ab illa fuerit collata: Ita &
in hac re longè subtiliore se res habet, ut ab anima Patris &
Matris accendatur alia.

63. Sunt

63. Sunt qui animam Patri soli tanquam principio activo adscribunt, à Matre verò tantum suppeditari materiã dicunt. Sed quia Matrem excludere nimis durum, & species mixta nobis aliud ostendunt, priorem responsionem huic præferimus.

64. Sit ἀντίτιμον quartum: Omne generabile est corruptibile. Jam si anima rationalis generatur, erit quoque corruptibilis.

65. Sed respondemus ad maiorem limitando: Omne generabile est corruptibile scilicet potentiã quoad compositum. Actualis n. corruptio, sive solutio anima & corporis non nisi originis malo est adscribenda. Quod verò concernit animam, illa non est corruptibilis, quia non est à principio corruptibili, ut anima brutorum, sed à principio immortalis.

66. Sit ἀντίτιμον quintum: Si anima est in semine, corrupto semine corrumpetur anima, & sic οἱ ἐξορκιστῆρες homicidium committent.

67. Sed resp. 1. Si anima esset in semine tanquam actus formalis, quod non dicimus. Et quia semen nondum est homo, sed ἀρχὴ σωματικὴ καὶ ψυχικὴ, perversa seminis profusione homicidium committi nequit. Unde lex divina percussores illos, qui pregnantem ledunt, ut abortum faciat, fœtu nondum maturo, homicidii non postulat Ex. 21. Interim hoc adjicimus omnẽ seminis abusum DEO vehementer displicere Gen. 38. 2. Quemadmodum Sacramenta extra usum divinitus ordinatum (ut hæc gratia vehicula cum hoc vehiculo anima componere liceat) non sunt Sacramenta: Ita & semen extra usum divinitus institutum, non est ὄργανον propagationis anima. Est autem usus ille, ut recipiatur intra uterum fœminæ, & anima suum domicilium ibi architectetur.

68. Sit ἀντίτιμον Sextum: Anima vel educitur à potentia materia, vel à DEO inducitur. Sed non educitur à potentia ma-

teria, quia sic esset corruptibilis, ut anima brutorum. E. a Deo inducitur.

69. Sed respondemus, esse insufficientem enumerationem modorum, quia praeter educationem materiae, & inductionem in materiam, datur traductio cum materia. Nec est absurdum animam actu esse in semine (non tamen ut formam, sed ut principium operationis, quod nihil aliud est, quam privatio Aristotelica εἶδος πῶς forma quodammodo) quia ubi anima suas exerit operationes, ibi adest actu. Jam vero in semine suas operationes exerit fabricando sibi domicilium. E.

70. Novimus quidem Aristotelem animam potentiam, non actu semini inesse aliquoties dixisse. Verum ille δύναμιν non opponit ταῖς ἰσότησιν, sed vel τῷ εἶδει, vel ταῖς ἐνεργείαις, quas in perfectis animalibus edit anima, quia ipse τὰ σπέρματα, τὴν γονὴν & τὰ κυήματα nihilominus, quam stirpes vivere dicit l. 2. de gen. an. c. 3. Et in semine esse τὴν ἀρχὴν κινῆσαι ἢ δύναμιν ποιεῖσαι passim in libris de gen. an. docet, Imò 7. Metaph. c. 9. σπέρμα, inquit, ποιεῖ ὡσπερ τὰ ἀπὸ τέχνης hoc est semen ut Artifex operatur.

71. Sit ἀντίπαιτον septimum locus Aristotelis 2. de gen. an. c. 3. animam θυγάθεν accedere, unde concludunt nonnulli Aristotelem ipsum propagationem animae per traducem negasse.

72. Sed respondemus, quod vel Aristoteles ex aliena sententia loquatur, vel τὸ θυγάθεν educationi materiae opponat, cum alias ut ὀικείας Φωνῆς immemor accusari possit.

73. Sit ἀντίπαιτον octavum ex Sacris desumptum: Spirituum nulla est multiplicatio. Matth. 22. Sed resp. Spirituum a corporibus sejunctorum, quales sunt Angeli, nullam esse multiplicationem, ipse contextus docet, Anima verò nostra cum corpore unum σύνθετον naturale constituit.

74. Sit ἀντίπαιτον nonum locus Eccles. c. 12. Spiritus redit ad
DEUM

DEUM, qui dedit eum. Sed respondemus, quod vel de prima
vel de mediata creatione sit sermo, quâ ratione DEUS etiam
corpus, victum & amictum dare dicitur.

75. Sit ἀντιπίπλον decimum & ultimum ex Epist. ad Hebr.
12. ubi DEUS Pater Spirituum dicitur, cui Patres carnis op-
ponuntur. Sed resp. distingvendo inter ψυχὰς καὶ πνεύματα. 2.
Per πνεύματα vel Angelos; vel per Patrem πνευμάτων Patrem
spiritualem intelligi.

76. Et hæc ἀνασθεναστικῶς protulisse sufficiat. Polliceor me
ἐπισημεία τῆς ἀληθείας καὶ τὰ οἰκεία ἀναρθεῖν promptissimum
esse paratissimumq̄.

DEO sit Laus & Gloria.

Ut uberior sit disputandi materia sequen-

tiapro more subijcio

COROLLARIA.

GRAMMAT. An Lingva Latina Latinis olim fue-
rit connata? N.

Logicum. An unum etiam singulare possit face-
re inductionem? A.

Rhetor. An verum, quod habet Scherbius, Rhe-
torem esse personatum Politicum? A.

Metaph. An sine exceptione quicquid est causa
causæ sit etiam causa causati? N.

Phys. An verisimile, quod ad confluentem Matro-
næ & Seqvanæ in Galliis, uti refertur, eadem
vox decies novies geminata resonet? A.

Mathem. An fidendum observationibus Astro-
nomicis? A. Ethic.

Ethicum. An homo nascatur ἢ δέτερο nec bonus,
nec malus? D.

Politicum. An Papa Imperium à Græcis ad Ger-
manos transtulerit? N.

Oeconom. An publica institutio præstet privata?
Ultraque juncta placet.

Τ Ε Λ Ο Σ.



Coll. class. A 65, msc. 59